Maphei Foresti 1330

Ludovicus dei gratia Romanorum Imperator semper augustus Nobilibus viris
Tebaldo q. guidottij de Riccardis et Mapheo olim odaxij de forestis de pergamo
suis et fidelibus dilectis gratiam suam et omne bonum Imperatoria maiestas
decet fideles Imperij aliorum beneficiis gratiis favorabiliter et benevole
promovere ut ceteri subditorum ad fidelitatem fortius animentur Unde
propter fidelitatem et grata servitia que nobis et Imperio hactenus
exhibuistis et speramus vos in posterum exhibituros volentes vos
honorare et pro honore vobis exhibito aliis favorem benivolum
impartiri vobis et cuilibet vestrum heredum et successorum
per lineam masculinam legitime descendentium vos per totam Italiam naturales
liberos sive bastardos spurios et manceres et quoscumque etiam ex dampnato
nato coitu seu incestis nuptiis procreatos legitimare ac ad
omnes actus legitimos Restituere valeatis Ita quod ipsi naturales
sive bastardi spurii et manceres per vos seu per aliquem vestrum
aut vestros heredes et successores ut predicitur ex certa scientia
et de plenitudine potestatis Imperialis concedimus et [illegible] indul-
gemus non obstantibus legibus positis in corpore autenticorum
quibus modis naturales efficiuntur sui § fi. et autentica que
incipit licet patri in fine posita · C · de naturalibus liberis super
lege humanitatis et · C · de incestis nuptiis · l · si quis · incesti
et autentica ex complexu super ipsa lege signata et aliis legibus
consuetudinibus et statutis quibuscumque que contra huiusmodi nostram
concessionem possent obici vel opponi quibus omnibus in hoc
casu ex certa scientia et de Imperialis potestatis plenitudine
derogamus in solidum vobis et cuilibet vestrum ac vestris et
et cuiusque vestrum heredibus et successoribus per lineam masculinam
legiptime descendentibus concedimus quod sitis cives honorabiles cuiuscumque
Civitatis Italie liberi ab omnibus honoribus factionibus
et exactionibus quibuslibet personalibus patrimonialibus Realibus
atque mixtis

Bergamo Bibl. Civ. Gabin. Γ I 13 nr. 5
1330 Jan. 20